



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ivs Ecclesiasticvm**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1705**

Titulus XXXIII. De Conversione Infidelium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)

tate ad Ecclesie gremium reversus, sit inivitus, c. fm. hac Rubr.

35. Ne autem decisio ista pugnet cum Rescripto Urbani III. c. De illa cit. eam, quae, virò in hæresin lapsò, sine Ecclesie iudicio divertit, illi resipiscenti reddi aut ad eum redire, si renuat, compelli, præcipientis, uxori ob viri hæresin propriâ autoritate divertenti transitum ad Religionem nullatenus permittit receptissima sententia D. Thomæ in 4. dist. 35. q. 1. u. nit 4. art. 1. quòd is cedat in præiudicium conjugis in hæresin lapsi; quia ista, licet notoria sit, seclusò Ecclesie iudicio, non est causa divortii perpetui, sed solummodo temporalis, quamdiu ille in Hæresi persistit, c. De illa cit. Unde isti resipiscenti, eum causa divortii cesset, reconciliari tenetur & matrimonium redivulgare.

36. Casu autem, quò divortii sententia prolata, imò conjux solummodo hæreticus Ecclesie iudicio condemnatus est,

innocens ad Religionem; illo etiam resipiscente & invito, liberè transire, juxta decisionem c. fm. cit. imò & c. De illa cit. V. fm. quin etiam in seculo manens sacros Ordines suscipere, aut sine istis ab eo separatus vivere potest, quin eum recipere teneatur, ut cum Covarruvia de Sponsal. p. 2. cap. 7. §. 5. n. 5. Castro de Hæret. punit. Lib. 2. cap. 7. Barbosa cit. p. 2. n. 20. & aliis cit. Sanchez disp. 15. n. 19. & Pontius Lib. 9. de Matr. cap. 22. n. 3. defendunt, & evincit ratio; quia conjugem in hæresin lapsum in istius criminis poenam Ecclesia, sicut aliis bonis & juribus, sic etiam eò, quod in conjugem habebat, ac proinde mutua cohabitationis, debiti, aliorumque jurium conjugum exigendorum iure privat, c. fm. cit. quò innocenti permittitur ad Religionem transitus in plena liberatione ab obligationibus conjugialibus fundatur.



# TITVLVS XXXIII.

## De Conversione Infidelium.

### SUMMARIUM.

1. Infideli nomine hic venit Judæus & Paganus.
2. Qui conversus invalidè ducit fidèlem, in cuius viri necem, ista consensiente, est machinatus.
3. Canone directè fidèlem tantum afficiunt.
4. Conjugum infidelium uni converso proles infantes assignantur.

5. Nulla ratione habità etati & patriâ potestati.

**O**ccasione Conversionis & transitus coniugatorum à seculo ad Religionem hac Rubr. agitur de Conversione coniugum infidelium à perfidia Judæorum & Gentilium erroribus ad Fidem Christianam.

Infidelium autem nomen hoc locò non accipitur latè pro quibuscunque à

P p p p Fido



Fide Catholica alienis, ut etiam sunt Hæretici; quia hi propriè non converti, sed reverti dicuntur: sed strictè pro iis duntaxat, qui Christianam Fidem nunquam susceperunt & Ecclesiâ per Baptismum non sunt ingressi, ut sunt Judæi, Pagani, Sarraceni, Hostiens. in *Summa ad hanc Rubr. n. 1.* de quibus huic Rubricæ subiectis duobus textibus totidem casus deciduntur.

2. Prior est de viro Sarraceno vel alio hujusmodi infideli, occidente maritum mulieris fidelis, interventibus istius machinationibus & insidiis: quem post ita perpetrata cædem ad Fidem Christianam conversum ad matrimonium cum ista contrahendum esse inhabilem, *c. 1.* Cælestinus III. rescripsit & insinuat *c. Tanta 6. Qui filii legitimi*: licet adulterium inter eos ante cædem perpetrata non intercesserit, ut in *c. 1. cit.* cum Joan. Andr. *n. 2.* Panormit. *n. 8.* Bellarmino *Lib. 1. de Matrim. cap. 22.* & aliis notat Barbosa *n. 1.* Unde

Dubium nascitur, quâ ratione *c. cit.* à Sarraceno ad fidem converso ante Baptismum susceptum perpetrata cædes mariti mulieris fidelis obtare potuerit conjugio, ab ipso cum ista contrahendo. Ratio dubitandi est; quia ex una, dum adhuc infidelis & in mortem machinatus est, nondum fuit subditus Ecclesiæ; ac proinde istius sanctionibus connubialibus & pœnalibus non adstrictus, *c. Gaudemus 8. de Divorciis*: ex altera verò parte, Baptismus peccatum cæde illa commissum ejusque pœnas sustulit, *c. cit.* eamque ob causam homicidiò ante Baptismum commissò Irregularitas, quæ Ordinis susceptionem & usum impedit, non inducitur. Istius rationis vim ut enervarent, alias atque alias *c. 1. cit.* expositiones Interpp. excogitarunt. Mihi præ aliis satisfacit, Henriquez *Lib. 12.*

*cap. 14. §. 2.* ubi impedimentò illi dicitur esse affici ait, non virum infidelem, sed mulierem duntaxat fidem; cum, si insidius conspiratio ad cædem non concocarat, impedimentum non contrahitur, colligatur ex textu: quò cum occisum fidelem uxoris matrimonium non prohibetur, si istarum mariti in bello vel calore iracundiæ aut ex vindicta sine intentione conjugii ineundi sint occisi, ut in *c. cit.* observat Barbosa *n. 6.* Confirmatur; quia si, cum cædes parata est, non tantum vir occidens, sed etiam uxor, cujus insidius maritus est occisus, fuisset infidelis, impedimentum à castro contractum fuisset; ac proinde conjugium inire, sicut ante, sic etiam post conversionem potuissent, Henriquez *1. cit.* contra verò impedimentum contraheretur ab utroque, si, cum à viro maritus, istius uxore conspirante, & matrimonii contrahendi animò occideretur, uterque fuisset fidelis, ut ex *can. Si pater vivente, 31. q. 1.* colligi potest.

Posterior casus est de duobus conjugibus Judæis aut etiam Paganis, habentibus proles communes utriusque. Quorum, si unus in Judaismo vel Paganismo perseveret, alter verò ad Fidem Christianam convertatur, favore Fidei Christianæ proles parenti converso, seu patri seu matri, assignanda est, ex decisione *c. fm.* quæ non parum negotii DD. quondam fecit; quòd ea non procedat de prole adulta; cum hanc, utpote rationis usu jam præditam, relinquendam suæ libertati, & invitam ad Fidem Christianam non cogendam, luculentè pateat ex *can. De Judæis 5. dist. 45. c. 6. Sicut 9. de Judæis*. Neque etiam ita generaliter procedat in infantibus & aliis carentibus usu rationis; cum prolem à patre alendam educandamque ex *l. Nec*



Altram p. C. de Patr. potest. defumatur & infirmetur c. fin. cit. & a Glossa ibi, V. Post triennium referente versus:

Mater alit puerum trimum, trimoque minorem: Majorem trimo pascere patria erit.

Sed quidquid sit de sensu istius legis: cuius minus quidem communem, solidam tamen explanationem cum Brunemanno dabitur Lib. 5. Tit. 16. n. 4. in proposito casu prolem rationis usu carentem, quacunq; etate sit, assignandam converlo patri matrive, cum S. Thoma in 4. dist. 39. q. unica art. 4. Panormit. in c. fin. cit. n. 8. & aliis DD. tradunt cit. Sanchez disp. 73. n. 16. &

Barbosa in c. cit. n. 10. Ratio est; quia favore Fidei, de cuius bono agitur, ratio etatis cessat; nam placuit, Summam esse rationem, qua facit pro Religione, ut dicitur l. Sunt persona 43. ff. de Religios. & sumpt. fun.

Non major hoc casu Patrie potestatis, quam etatis ratio habenda est. Unde, licet alias secundum leges Civiles liberi sint in potestate & cura patris, §. fin. Instit. de Patr. potest. quando tamen de Fidei bono agitur, patrie potestatis ratio non habetur; ideoque mater converla filios Baptismo offerendi jus habet, etiam patre Ethnico reluctante, ut cum Glossa fin. in c. cit. & Panormit. n. 8. advertit Pirrhing ad banc Rubr. n. 6.



TITULUS XXXIV.

De Voto & Voti Redemptione.

Conjugati & generatim quicunque ad Religionem transeuntes, ad vitam in ea perpetuè agendam se obstringunt, editis tribus substantialibus Religionis Votis: quorum occasione Voti natura & varietas, obligatio relaxatióque ad præsentem Rubricam declaratur.

- 2. Votum non simplex animi propositum,
- 3. Sed promissio constituitur.
- 4. Qua esse vera,
- 5. Et continere debet animum se obligandi;
- 6. Voluntariè quoque & deliberatè,
- 7. Atque immediatè Deo fieri,
- 8. Et esse de meliori bono;
- 9. Qualis regulariter non est,
- 10. Esse tamen aliquando potest de matrimonio contrahendò.
- 11. Dividitur Votum in Absolutum & Conditionatum,
- 12. Expressum & Tacitum,
- 13. Personale Reale & ex utroque Mixtum.

ARTICULUS I. De Voti Natura & Varietate.

SUMMARIUM.

1. Voti definitio.

PPPPA

14. lra